UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ad Georgiu[m] inclytum || Saxoniae duce[m]. Principe[m] illustrissimu[m] [et]ʹc Ioannis Tuberini Erythropolitani Musithias de Caelitibus, & || sacris Historijs in Musas nouem digesta. adiecto ...

Tuberinus, Johannes

Lipsica, 1514

VD16 VD16 B 2371

Paulus, Sym.ij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-99075

Visual Library

Namq; Nempe in tellurem fundi prona, atq; cadiua.
Fallitur ille orbis qui penſans pondera rerum
Eſſe putat dextrum, quod leuum cernitur eſſe.
Dulcior o cunctis mihi rebus maxime Chriſte es,
Ingens quas cludit totius machina mundi.
Tu ſolus mihi Chriſte places, tu ſumma voluptas
Es mea, tu noſtri requies tranquilla laboris.
Et nunc ingentes tanto pro munere grates
Soluimus alme pater. tu ſolus nanq; tyrannum
Das ſuperare trucem binum, [redacted] manesq; profundos
Gloriolam noſtram das Chriſtigenaſq; tueri.
Da tandem faciles animo, da numine dextro
Egreſſus, atq; in patriam noſtram excipe mentem.
Priuatos noſtraq; ope te bone Chriſte colentes
Terreſtri tutare, foue, rege, dirige, muni.
Dixit. et æthereos animam dimiſit in ignes.
Adſunt diſcipuli, et ſoluunt exangue magiſtri
De cruce corpus, aromatibus, vacuoq; ſepulchro
Conditum imponunt. et triſtia funera ducunt,
Suppliciter flentes percari fata magiſtri.
Poſt mortem vidiſſe illum, Dionyſius inquit,
Et Paulum iunctis manibus repetiſſe quiritum
Mœnia, lucifluæ redimitos tegmine veſtis,
Vertice geſtantes gemmis, auroq; coronas.
Petre caput procerum, princeps venerande ſenatus
Biſſeni, noſter prece da ducatur ad aſtra
Spiritus, empyrei numen viſurus Olympi.

MONOSTICHON SYMPHOIAE SECVNDAE.

Rome conficitur PAVLVS mucrone SECVNDA.

ARGVMENTVM COPIOSIVS.

Aulus in Assyrijs furit oris, Christigenarum
p In gentem placidam, petit ardua tecta Damasci.
Arcetur ceptis, sublimi quadrupedante
Funditur in terram, cæcatur lumine vtroq;.
Vertitur ad Christum, rursus visuq; potitur.
Oris in varijs superi præconia regni
Diffundit, nomenq; tuum prædulcis Iesu.
Plurima amore subit cuius discrimina rerum.
Tandem intrans Latium, visit te maxima Roma,
Obtruncatur vbi, doceat tua q; sacra Christe.

ARGVMENTVM LIBERVM.

Paulus extra numerum apostolorũ duodecim oppido Iudææ Giscali originem duxit. quo a Romanis bello capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ cõmigrauit. inde Solymas ob studia legis missus, a Gamaliele viro doctissimo eruditus est. acceptis deinde epistolis a pontifice templi, orthodoxæ fidei oppugnator acerrimus in eos hostiliter coortus qui Christum verum deum esse profiterentur, Stephani prothomartyris neci interfuit. at vero quũ Damascum pergeret, spiritu diuino ad fidem compulsus, vas electionis, gentiumq; apostolus, et doctor vocari et esse meruit. posthac multis vrbibus cum Barnaba, multis etiam cum Syla & Thimotheo peragratis, fidei Christianæ propagandæ causa, sub Neroniano imperio eodem tempore quo Festus procurator Iudeæ Fœlici successit, Romam vinctus vt ciuis romanus missus est. vbi biennio in satis libera custodia manens cum Iudæis quotidie disputabat. dimissus tandem a Nerone, vrbe digrediens, operam fidei occiduis in oris præstitit. Demum rediens vna cum Petro iussu Neronis a lictore eductus, capite obtruncatus est, Petro in crucem sublato.

PAVLVS SYMPHONIA SECVNDA.

Vnicipem Tarsi te Paulum percrepitabit
m Nunc lyra nostra senis post Petri prodita gesta
Damnati Romæ sub iniquo iudice tecum,
Tecumq; educti necis ad miserabile fatum.
Scite etenim quis te tacitum post acta relinquet
Petri dicta tui collegæ terra, et Olympo?
Paule ades o lectum vas, o clarissime doctor
Virtutum, fidei columen, decus, atq; columna.
Paule ades, et ceptis aspira, vota secundo
Duc in opus cursu, fragilem duc sancte phaselum
Littus ad optatum tandem, portumq; salubrem.
Nauigat illa tibi, fer opem quare optime Paule.
Giscalis Hebræa genuit regione reposta
Vrbs tantam prolem, tantum iubar edidit atq;.
Quæ capta horrisono Aeneadarum marte, parente
Cum gemino Paulum Persææ misit ad arces
Tarsi. hæc clara iacet Cilicum regione, subegit
Olim quos Magnus, dispersos æquore toto.
Vrbem per mediam Cydnus nocua influit vnda
Rex Pellæe tibi sudore, ac puluere pleno.
Nodosam illa tamen potis est arcere podagram.
Hinc studia ob legis Paulus Solymas petit altas.
Gamalielq; tibi committit se instituendum.
Sauli nomen habens, demutato vno elemento,
Indita suscœpit Cypria proconsule Pauli
Nomina, quem Paulum vocitatum vertit ab aris
Diuorum falsis, vera ad tua numina Christe.
Schænoplocos vitam studuit tolerare labore.
Sunt qui contendant hunc sacra iugalia iisse.
Carnis erat stimulus datus illi ipso referente,
Non tamen ic circo canimus duxisse maritam,
Linquimus ast alijs scrutandum pectore gnaro.
Innocuos lupus ille rapax lacerauerat agnos

Principio ætherei pastoris, quippe flagellum
Christicolarum erat, et contemptor relligionis,
Quam tua Christe canit spatioso ecclesia mundo.
Aedibus ex ipsis, larium et penetralibus imis
Traxerat in Christi credentes numina vera
Carcerem in horrificum, bifidus quos sexus habebat.
Rapta erat ad pœnas coniux miseranda, maritus.
Propterea Solymis bona pars migrarat ab oris
Asperulæ metuens pœnæ, Sauliq; tyranni.
Obruit vt saxis Stephanum recutita propago,
Ille aderat, seruans furiosis tegmina vestis
Testibus, assensum dabat in letum innocuiq;.
(Huius pro populo meritis peccante rogantis
Ad Christi tandem conuersus creditur aras)
Discipulos odio Christi insectatus acerbo
Multæ auidus cædis sæuæ, plenusq; minarum,
Vrbs antiqua parens hominum iacet, optima toto
In Syriæ tractu, indigenæ dixere Damascum.
Illius ad proceres Hebræi nominis altos
Saulus epistolium poscit te summe Sacerdos,
Quo premat innocuos molimine liberiore.
Quo gemini sexus tua nomina Christe professos
Mortales vinctos trahat arces ad Solymorum.
Iamq; iter emensus turres, ac tecta Damasci
Ardua cernebat iuuenis, quatiente caballo
Arua putris campi, densa comitante caterua.
Ecce sed astrorum Dominus peruersa volentem
Exercere virum cohibet, fulgore coruſco
Obtundens illum subita vi sidere ab alto.
Funditur attonitus sublimi quadrupedante
Imam in tellurem Saulus, dicta atq; sonantem
Talia vocem audit geminato nomine, quid me
Persequeris? magis ille tremens, quis es o domine? inquit.

Quem tu perſequeris (cui dicitur) ille ego Ieſus
Calcitrare puta ſtimulum contra tibi durum
Eſſe, ille inſolita trepidans formidine, quærit
Quid ſit facturus? dominus cui, ſurge, ait, arces
Vrbis et aduerſæ pete, tum dicetur abunde
Quid facere expediat. ſic vox reſonabat ab aſtris.
O fœlix Heros, o terq; quaterq; beate,
O ſummo delecte deo, bene amate Tonanti,
Omnibus ex ſanctis, cæli quos continet aula,
Vni præcipue dedit hoc tibi ſumma Poteſtas,
Infeſtum fidei veræ, indomitumq; leonem
Te Paule inuitum, tua contraq; omnia vota
Flecteret a cæcis erroribus, acq; barathri
Faucibus, ad veros cultus, ad amabile lumen,
Iuſtitiæ ad Solem, decus immortale ad Olympi.
Diuinis ſignis, et rerum grandibus actis,
Iam tua geſtiuit dum mens abolenda patrare.
Delapſi titubant comites, nec dicta capeſſunt
Aethereæ vocis. lumen ſed cernitur illis.
Stratus humi Paulus tandem conſurgit, apertis
Illius nemo (mirum) ſpectatur ocellis.
Ergo manu hunc comites ducunt vicina Damaſci
Tecta ad. vbi Saulus non vidit, non alimenta
Vlla dedit ſtomacho, donec tria lumina Phœbus
Obſcuris terræ patefactæ immitteret aruis,
Solibus effluxis, vocem, tribus, vrbe Damaſco
Diſcipulorum vnus degens viſo accipit illam,
Surge age calce cito propera, rectum pete vicum,
Tarſenſem Saulum quære altis, nomine, Iudæ
Tectis, ad numen iam ſancta precamina mittit.
Sic vox, ille ſonum domini callens, domine, inquit,
Cœpimus ex multis iuuenem ſtum immania dictu
Inflixiſſe tuis mala ſanctis in Solymorum

Mœnibus, adde q̃ a ſenioribus alta poteſtas
Hebrææ plebis ſit huic conceſſa tyranno
Deuincire tui cultores nominis omnes.
Sic memorans, iterum vocem accipit illa ſonantem
Dicta, procul mora ſit, propera, mea iuſſa faceſſe.
Ille mihi euaſit vas delectum. ille per orbem
Quadrifidum nomen geſtabit pectore noſtrum
Inuicto, coram populis, coram recutitis,
Coram ceſaribus, coram tumidiſq̃ tyrannis.
Illi oſtendemus, noſtro pro nomine quanta
Sit paſſurus, abit celer ille, facit pia iuſſa.
Iamq̃ domum ingreditur, Saulus qua degerat. illi
Imponenſq̃ manus cæco, Saule optime frater
Ad te nos (inquit) miſit dominator Ieſus
Terrarum, cæliq̃ potens, qui apparuit ante
Mœnia luce tibi radiante, vt lumina rurſus
Aſpectes cæli, et domini te ſpiritus afflet.
Sic ait, ecq̃ leues oculis ſquamæ cecidere
Conuerſi tremulis, clarum cernentis vt ante.
Auſa pios in chriſtigenas in fonte nefanda
Abluit hinc ſacro, veſtitur vellere molli
Qui lupus ante rapax fuit, et dape robora ſumpta
Sentit, perq̃ aliquot ſoles manet vrbe ſuperba.
Conſuetudo illi eſt cumq̃ agmine diſcipulorum
Vrbe Damaſcena degentum. maximus ille
In fidei rebus fit doctor et indigenarum.
Exuit ille feros motus, quibus irretita
Mens prius errarat. colubri inſtar ponit et arcta
Inter ſaxa cutem antiquam. ſtygiumq̃ venenum
Euomit, induuias terſas capit atq̃ recentes.
Iamq̃ animo ingenti, valida iam mente retuſam
Inſtaurare fidem molitur Chriſtigenarum
Ore potens, procerum Iudæi nominis alta

Templa petens, ſobolem magni contendit Ieſum
Eſſe dei certam. ſtupor omneis afficit ergo
Qui audiuere virum fatos, nonne ille peroſus
In Solymis iſtud nomen lacerauerat omnes
Cultores huius, totaq; exploſerat vrbe.
Addeq; ad noſtras ideo confluxerat arces
Chriſticolas vinctos poſſet quo educere, et ante
Ora ſacerdotum Solymarum mœnibus altis
Siſtere, nil trepidans at Paulus murmura ſpernit,
Incrementa capit ceptis fœlicibus, atq;
Errores damnat Iudæorum manifeſtos,
Eſſeq; Meſſiam verum decertat Ieſum.
Ergo (vt Chriſtigenum Iudæi ſurgere ſacra
Conſpiciunt, rituſq; nouos inoleſcere templis)
Correpti rancore animi flagrantis acerbo
Fraudibus infandis multa poſt luce frequentant
Concilium, poſſint Paulum quo perdere pacto
Exquirunt, in fata viri mens omnibus vna eſt.
Seruantur portæ vigili cuſtode diurno
Tempore, ne euadat, nocturnis atq; tenebris.
Paulus, dans fidei populis decreta recentis.
Ille virum inſidijs elapſus nocte ſilenti
Mittitur in ſporta trans mœnia, diſcipulorum
Suppetijs, repetens Solymorum mœnia celſa.
Vrbe ſubintrata, congreſſus diſcipulorum
Quæritat, aſt cuncti credentes eſſe Megæræ
Pignora adhuc, genus anguiferum, crudumq; tyrannum,
Hunc dedignantur. fugiunt procul illius ora.
Hunc tamen apprendens Barnabbas ducit ad agmen
Biſſenum, Paulus cui narrat cuncta diſertus,
Quæ ſibi ventoſe obtigerant prope tecta Damaſci.
Vt domini voces cœpiſſet lumine adempto,
Vt virtute dei, Chriſti vtq; in nomine ſancto

Ardua fidenti complexset pectore facta.
Vrbe Damascena Christi memorasset vt aras.
Excipiunt illum quare agmina discipulorum
Mœnibus, atq; extra, comitem faciuntq; viarum.
Res agit in sancto conuersus nomine Iesu,
Gentibus et loquitur, cum Argiuis disputat ipsis.
Isti autem insidias tendunt sacra vera docentis
Vitæ, hunc sed structam tibi ducunt Cæsar ad vrbem
Fratres, ad Tarsi fulgentia mœnia tandem,
In quibus astrorum regem colit, æthære ab alto
Pneumatis excipiens solamina dulcia sacri.
Insignis pietate senex educeret illum
Donec Petrus, et Antiochenis sisteret oris.
Mansit in his Paulus dum phœbus circuit orbem
Cynthius obliquum, duodena per astra volutus,
Cum seniore docens fidei mysteria gentes.
Illius manibus mittentes ad seniores
Discipuli, socijs Iudææ habitantibus oras
Mittere decernunt obituros iussa ministros.
Arcibus ex Solymis dum vates Antiochenis
Prædixere famis malesuadæ tempora dura.
Ille et Barnabbas patribus missi duodenæ
Turbæ, Carpathio contingunt æquore postam
Cyprum, post adeunt Salaminæ mœnia celsa
Teucri opus, ingressiq; scholam diuina recensent
Dicta, Hebræorum, tua numina maxime Christe et.
Discipulus domino carissimus adstitit illis.
Inde Paphum veniunt, Veneri quam fabula sacrat.
Sergius hac vitam viuens proconsul in vrbe
Ingenio clarus, Sanctorum gestit ab ore
Verba audire dei, lucri execrabilis author
His refragatur magus. ergo hunc numine plenus
Flaminis ætherei Paulus sic voce lacessit,

Omnibus o conferte dolis, quem procreat ipse
Tartareus princeps, odio est cui fasq; piumq;.
Nempe vias domini rectas subuertis Olympi.
Promitto vltorem. meritas dabis impie pœnas.
Cernere non poteris Phœbeia lumina posthac.
Sic ait, ecce mago densa caligine noctem
Inducit vindicta dei, tum talia cernens
Proconsul, Christum credit patre omnipotente
Esse satum, Pauli miratus factaq; dictaq;
Inde Papho excedens, terræ Pamphylidis oras
Cum socijs Paulus subit, altaq; mœnia Pergæ.
(Castus Ioannes Solymorum tecta reuisit)
Antiochi dictam de nomine post petit vrbem.
Quos Synagoga tenet, vocitatur ab ordine patrum
Mystica dicturus. legis quare ille recenset
Tradita Iudaicæ, et pietas quæ dona Tonantis
Contulerit proauis. quos Reges, quemq; salutis
Authorem, proceres Solymi quem morte nefanda
In vili ligno affecissent, inde sepulchro
Corporis innocui imposuissent mortua membra.
Quem deus omnipotens a fato luce vocasset
Terna, haud hunc vltra subiturum horrentia mortis
Vincula, Iudaicæ cõluerunt agmina plebis
Densa deum Pauli, rogitantia sabbata festa
Vt niteant, repetat sermonis dicta prioris.
Sabbata sacra aderant simulac, ruit impete vasto
Audiat vt verbum domini, innumerabile vulgus
Aedibus effusum, primores ergo agitati
Iudæi inuidia, luctantur dicta loquentis
Ardua contra, odio dantes conuicia amaro.
Ad quos inuicto sic pectore nuncius ore
Doctiloquo fatur, vos compellare decebat
Primum narrando fidei mysteria veræ,

At veſter faſtus quando, ac audacia veſtra hæc
Faſtidit, vitæ dedignaturq; perennis
Munera, nos hinc diuertemus ad ætnica regna.
Sic etenim nobis mandarunt iuſſa Tonantis,
Te poſui in lucem gentis quo ſancta ſalutis
Extremum ad terræ ſpatioſæ munera ferres.
Iſti ſuccenſi rabie, furiſq; agitati
Finibus exploſere ſuis ſanctos. abeuntes
Illi in Iudæos excuſſo puluere plantis
Iconium veniunt, fideiq; arcana reuelant
Chriſtigenum, credit Iudæus, credit Achiuus.
Non credens vero Iudæus ſuſcitat iras
Aduerſus fratres. illi miracula magna
In virtute dei faciunt complura Tonantis.
Mœnibus in dictis degentes tempora multa.
Ecce ſed exoritur diſſentio. ſeditioq;.
Pars populi ſanctis, pars Iudæiſq; cohæret.
Obruat vt ſaxis ſanctos recutita propago
Bile tumens acri molitur. terga ferentes
Turrigera hi pedites tendunt in mœnia Liſtræ.
Claudus vbi degens matris male lapſus ab aluo
Ad voces Pauli recto pede ſurgit vtroq;.
It, validam excipiens per languida membra ſalutem.
Cernentes turbæ miracula tanta, ſtupentes
Dij ſimiles clamant mortalibus æthere ab alto
Delapſi, noſtram dignati acceſſibus vrbem.
Paulum Atlantiaden, Barnabbam progeniemq;
Saturni vocitant fiſſo regno aſtra tenentem.
(Fabellas volumus veſtras ſi audire poetæ)
Cornigeroſq; boues affert, virideſq; coronas,
Ante fores flamen faciat dialis vt illis
Cum multo indigena. rupto illi tegmine in agmen
Collectum inſiliunt, ſic Paulus et increpat vltro.

Diuinos nobis vultis decernere honores?
Mortalem æquamus naturam (credite) veſtram.
Non ſumus a ſupero ſalientia numina Olympo
Subiectam in terram, quare hæc dimittite vana.
Ad verum potius conuertite corda Tonantem,
Qui mare, qui cælum, qui fecit tartara, et arua,
Omnia et his vitam ſpirant quæ animantia caram.
Sic ait. et cohibet ſacris vix agmina denſa.
Ecce ſed Iconio, regnis ſimul Antiochenis
Deuenere viri, quæcunq; volumine Moſes
Tradidit arcano ſeruantes dicta, ſaluti
Cui fuit in fluuio Memphitide regia proles.
Iſtorum, turbis perſuaſis, impetus acer
Saxigenis Paulum telis ſepeliuit inermem.
Deceſſiſſe putans extra vrbem traxit et illum.
Adſunt diſcipuli, circundant atq; magiſtrum
Ingenti mœrore ſuum tellure iacentem.
Ferre ſed vlterius mœrorem diſcipulorum
Non valet ille grauem, lachrymas, planctuſq; ſonoros.
Ergo iterum ſurgit, reduci pede mœnia viſens
Cum ſocio (ſimulac ſol poſtera lumina fudit
Igneus) ingreditur Derbenſis tecta coloni,
Quumq; illic multos docuiſſet munere verbi
Diuini, fidei myſteria chriſtigenarum,
Iconium, Liſtramq; iterum petit, Antiochena
Regnaq;, confirmans nutantia diſcipulorum
Pectora, ne fidei dent ceptæ turpia terga
Duros ob caſus, q; nemo in vertice Olympi
Contingat lætam æternum lucem, niſi triſtes
Aerumnas ſit perpeſſus, niſi mille labores
Vallibus his mundi, lachrymis gemituq; refertis.
Quumq; ſacerdotes illis per ſingula templa
Legiſſet, quum ieiuno ſtomachoq; precatus

Aras ad Christi fudisset, principi Olympi
Commendat magno, posthac it longius inde.
Iamq; arua emensus Pisidum pinguia, pergit
Cum socio in latas terræ Pamphylidis oras.
Pergenses visit post, his diuinaq; dicta
Dat, tua dehinc penetrat Natalia ad ardua tecta.
Antiochi incuruis repetit regna inde carinis.
Illis in Christum credentum congerit agmen,
Narrat quanta sibi, socioquoq; fecerit ipse
Astrorum Regnator, et vt sub numina Christi
Exactis diuum, transmiserit Aetnica regna.
Mansit in his multos soles cum fratribus oris.
Presbyteros, et Apostolicam petit ille cateruam
Arcibus in Solymis socijs comitatus, ab oris
Iudææ vt quidam contenderunt, recutiti
Sint nisi, discipulos, vt Corniger assent Heros.
Non posse ætherei conscendere tecta Tonantis.
Per Phœnicum oras, regionem per Samaritum,
Fratribus accitis Paulus, Comitesq; recensent
Quanta deus cum ipsis Dominator fecerit orbis.
Sublimis Doctor modico post tempore fines
Antiochi Regis repetit socijs comitatus.
Reddit epistolium cuneatis fratribus atq;
Acceptum Solymis Ab apostolico agmine sancto.
Ignaros fidei, diuini munere verbi
Perdocet hinc, summi monstrans compendia Olympi.
Soles post aliquot, Barnabbæ talia fatur,
Par est vt fratres per pagos, per simul vrbes,
Olim visamus, quorum aruis semina nuper
Sparsimus excultis, steriles dominentur auenæ
An, lolium infœlix segetes an supprimat ortas.
Conuersi populi memori præconia nostra
Mente ne adhuc teneant. Barnabbas tum meditatur

Sumere Ioannem dictum cognomine Marcum
In comitem ternum, Paulus quem negligit, ipſis
A ſocijs terra Pamphylide deficientem.
Scindit ergo horum vota in cõtraria pectus,
Te Syla hic capiens comitem, Syriam pede luſtrat,
(Nauibus ille Cyprum Marco petit at comitante)
Atq; oras Cilicum, cõfirmans Chriſtigenarũ
Pectora, præcipiens ſeniorum iuſſa faceſſant.
Cuncta & Apoſtolici ſeruent decreta ſenatus.
Liſtram iterum ingredit. repetit Derbenſia tecta.
Degit ibi Mulier caro viduata marito.
Illi Thimotheus iuuenis fuit inclyta proles,
Proles conſpicuæ famæ coram agmine fratrum,
Qui vitam Iconio viuebant, vrbeq; Liſtra.
Deligit hunc iuuenem comitem, ſpectabilis heros
Paulus, & illius glandi præputia ponit
Hebræam ob gentem recutitam, vaniloquamq;.
Ingrediens vrbes, ſuperi præconia regni
Pangit, & hortat ceptis perſiſtere fratres.
Reſpondere patrum & decretis, in Solymarum
Spirantis vitam tectis turbæ duodenæ.
Incrementa fides cœpit tunc Chriſtigenarũ,
Quottidie illorum numerus ſuccreuit & ingens.
Vt venere viri Phrygiam, & Galatiæ in arua,
Arcibus Aſiacis faciant ne verba, vetant
Pneumate, de fidei rebus, de relligione.
Oras inde tuas perluſtrant montibus alta
Myſia, tentantes oras intrare Bithynas
Sancta Paleſtini prohibent ſpiramina Ieſu,
Troadis hinc celſas inuadunt greſſibus arces.
Hiſce ſoporiferæ Paulo ſub tempora noctis
Viſus adeſſe Vir e Macedum regione creatus,
Talibus alloquijs & ſeſe ſollicitare,

Viſere Paule velis Macedum ſanctiſſime regna,
Auxilium miſeris placidumq; afferre popellis.
Ille Panomphæi callens ſe iuſſa Tonantis
Accœpiſſe, adeat, Numen dicturus Ieſu,
Dictos vt populos. vt primum tollit ab vnda
Sol iubar Heſperia, ſocijs comitatus, ab vrbe
Troade nauigio celeri volat, in Samothracum
Oras deuectus, dehinc Parthenopeia rura.
Romanas acies cernentes ſæpe Philippos
Hinc ſubit, & ſoles nonnullos permanet illis.
Sabbata Iudæus poſtq̃ pallebat apella
Chriſtigenum ſanctas ſolitus cõtemnere leges,
Extra vrbis bifores ſe valuas, pripit, atq;
Sectati comites, ad amœni fluminis vndam.
Fœmineaſq; docet ſinuoſo in littore turbas.
Lydia quas inter magni venerata Tonantis
Numen erat. dictis Pauli perſuaſa rotundis
Crederet in Chriſti numen, ſineretq; rigari
Seſe Fonte, domo cum tota, Chriſtigenarum.
Adde q; hoſpitio ſuſcœpit & agmina ſancta
Officioſa virum, largoq; affecit honore.
Ecce ſed occurrit furioſa pediſſequa Sanctis,
Quam male Pythonis vexabat ſpiritus acer,
Quæq; ſuis dominis faciebat grandia lucra.
Q? diuinaret. clamans ſic voce ſonora,
Empyreo ſummi reſidentis in orbe Tonantis
Hi ſerui, Indigenæ, qui vobis dona ſalutis
Aeternæ important, ſic multis ſolibus illa.
Illius, pietate grauis miſeratus iniquam
Sortem Paulus, in has ingenti pectore voces
Prorumpit, tibi præcipimus truculente Tyranne
In virtute dei celſo dominantis Olympo,
Inq; ſalutiferi ſublimi nomine Ieſu,

Ire procul propere, atq; humanas linquere ſedes.
Sic ait, atq; eadem fugit illinc ſpiritus hora
Horridus, hinc domini quæſtum cadere aſpicientes,
Quem diuinando tulerat bacchata puella,
Poſſeſſo ſtygium geſſit quæ pectore vatem.
Concipiunt animo inſanum flagrante furorem.
Extemploq; manus Paulo, Sylæq; feroces
Inſciunt, procerum ſtatuunt ſubſellia et ante,
Ante magiſtratus, peſſundant voceq; tali,
Iudaicæ iſti homines ſectæ, vrbis mœnia veſtræ
Conturbant, populum falſo ſermoneq; veſtrum
Subuertunt, humeris atq; importabile pondus
Illius imponunt, dantes decreta maligna
Romanas contra leges, contra omnia iura,
Deniq; maiorum contra ipſam relligionem.
Sic domini, plebs exarſit, contra hoſq; cucurrit.
Sæuiuit quæſtor, ſæuiuit et ipſe ſenatus,
Tegmine diſciſſo veſtis, feruliſq; peruri
Iuſſerunt lentis ſanctorum corpora nuda
Pubetenus, poſtq; proſcindere terga flagellis
Carnifices,, rapuere in vincula ſanguinolentos,
Innocuoſq; viros, vigili cuſtode repoſto.
Immani ſuras ſtrinxerunt mole cataſtæ.
Nox poſtq; medio curſu alta ſilentia fecit,
Orantes hymnum tibi dicunt numen Olympi
Liberiore animo, deuincti corpora Sancti.
Concentus vigilis penetrant cuſtodiæ ad aures.
Ecce ſed horriſono motu concuſſa barathra
Omni parte tremunt, fundamina carceris ima
Concutiuntur, et ærati forium reſerantur
Sponte ſua vectes, vaſto luxata fragore.
Omnia vincla crepant, crus deſtituitq; cataſta.
Euigilans cuſtos, patefacto limine viſo,

Exerto mucrone ſibi conſciſcere fatum
Conatur ſubitum, cenſens abiiſſe ſolutos.
At pius ille volens Paulus reuocare paratum
In ſua fata virum, ingenti clamore profatur,
Pone metum, cohibe digitos, gladiumq; retracta
Armate o cuſtos, coram toti adſumus ecce.
Ille potens tremulis vix palmis lumina ferre
Carceris ingreditur poſtes ſtupefactus aperti,
Et ruit ante pedes pronus Pauli, comitiſq;
Eripienſq; foras fatur, quid, dicite Sancti
Nos facere expediat, Ditis ne pabula auari
Fiamus, ſuperas mage ſed volitemus ad oras?
In Chriſti Paulus crede (inquit) Numen Ieſu
Tum tandem ſcandes ſublimia tecta Tonantis,
Et tua tota domus, Chriſti ſi amplectitur aras.
Sic Paulus, cuſtos in eadem, carceris, hora
Abluit illorum plagas, et ſanguinolenta
Vulnera, iuentes, ab Apoſtoliciſq; lacertis
Fonte ſalutifero eluitur, domus et ſua tota.
Excipit hoſpitio hos, et honoribus affícit amplis.
Et dapibus curat, miti potatq; Lyæo.
Lætatur fidei veræ primordia ſancta
Cum tota didiciſſe domo, per dicta piorum.
Et iam ſomniferæ tenebras lux alma fugarat
Monſtriuomas noctis, quum miſit ab arce Senatus
Lictores ſumma, cuſtodem emittere captos
Carcere qui iubeant, exponit talia Paulo
Ille igitur, referens, ite hinc fœlicibus aſtris,
Ite in pace viri tranquilla, ac omine dextro.
Nos indemnatos, atroci vſtoſq; flagello
Romanos homines, reſpondit Paulus, opaco
Antro intruſerunt Seniores iſtius vrbis,
Nunc tandem occulte eiiciunt nos, non ita fiet,

Sed veniant ipſi, nos eſſciantq; tenebris.
Sic ait, ille refert lictori talia dicta
Multo, abiit iſte citus, Senioribus atq; recenſet
Tarſenſis reſponſa viri, qui talia poſtq̄
Auſcultant, metuunt, Romano nomine claros
Carcere q̄ vili ſtrinxiſſent verbere cæſos.
Nec mora deueniunt ad Sanctos, hoſq; precantur,
Auſis ignoſcant crudelibus, vrbeq; cedant.
Educti vinclis, tua Lydia regna reuiſunt.
Ante tamen fratres ſolati blandiloquo ore
Amphipolim emenſi, tua Apollonia edita tecta et.
Theſſalonica tuos contingunt deniq; muros.
Hic Schola Iudaici ritus ſupereminet alta
Hanc pius ingreditur Paulus, per ſabbata terna
Arte peritus, et ingenio acer. et ore diſertus
Diſſerit ex ſacræ ſcripturæ lege vetuſta
Exclamans Chriſtum ligno decuiſſe ſubire
Arcibus empyreis lapſum triſtiſſima fata.
Dicere et illius ſe Numina vera per orbem.
Adſtantum bona pars Pauli conuertitur ore
Aras ad Chriſti, ſequitur Numenq; loquentis,
Et Comitis, credunt illuſtri ſanguine matres
Complures genitæ. aſt odio recutita propago
Excandeſcit, et illiciens ignobile vulgus,
Seditione graui totius commouet vrbis
Viſcera, et aduerſas in Iaſonis irruit ædes.
Et Paulum, et Socium quærens, oſtendere coram
Inueniat, cupiens populi conſpectibus illos.
At non inuentis, trahitur ſuſpectus Iaſon
Iudæis factus, ſanctos q̄ clam cohiberet,
Fratres ac aliqui, cumulatos ad ſeniores
Vrbe Magiſtratus ſupremos, talibus atq;
Veſtræ, accuſantur ſuſcœperat, vrbis, Iaſon

Hoſpitio pacem turbantes, Cæſaris atq;
Luctantes iuſſis, alium narrant q; Ieſum
Regem. ſic fati, commoti ſunt Seniores
Contra accuſatos, reſpondens his at Iaſon,
Et reliqui, illæſi ad ſua culmina digrediuntur.
Cum ſocio Paulus tacitis demittitur vmbris
Per fratres vrbi Macedum regione repoſtæ.
Hac ſchola iudaici fulſit certaminis alta
Ingreditur Paulus certans cum patribus ipſis
Relligione ſuper vera, Chriſti ſuper aris.
Qui Pauli excipiunt voces, monumentaq; ſacræ
Quottidie relegunt ſcripturæ, dicta ne vera
Omnia ſint huius, bona pars in numen Ieſu
Credit, de gemino ſexu fit maxima turba
Sancta ſalutiferi venerans altaria Chriſti.
Ecce ſed infœlix lolium ſuccreſcere iniquus
Diuinis cupiens aruis dæmon, recutitos
Accit Iudæos e tectis Theſſalonicæ,
Quis turba exoritur cum ſeditione moleſta.
Auxilio fratrum Paulus demittitur ergo
Littus ad vndiſonum (binis remanentibus vrbe
In dicta ſocijs) alio ductus comitatu
Nauigio celeri tandem ſubit Attica regna.
Pallade Erechtheias illuſtres intrat Athenas,
Syla vbi, Thimotheus tandem inuenere magiſtrum
Acciti, Paulus falſorum numina tota
Cernit in vrbe, deum, cernit iuueneſq;, ſeneſq;
Tura adolere iſtis, libamina debita ſoli
Ferre, deo aſtrorum, fremit acri bile prophanas
Hinc contra gentes, volitans quas fama per orbem
Diceret ingenijs claras, atq; ore potentes.
Nec mora denſatis properat dare dicta cateruis,
Quas ſynagoga tenet, diuum cultoribus atq;

Falsorum, inq; fori partes se proripit amplas.
Tum cõstans doctas hac voce affatur Athenas,
Virgine matre fati Christi venerabile Numen
Solus est o Cecropidæ, qui lapsus Olympo
Summo, letales artus in imagine nostra
Induit, vt posset scelus exitiale piare
Naturæ humanæ, lapsum primiq; Parentis.
Propterea vili voluit se credere ligno,
Et vita e dulci fato concedere acerbo.
Post tria Phœbæq; radiantia lumina lueis
Viuificans iterũ demortua membra, subinde
Post aliquot soles summũ repetiuit Olympum.
Vnde sub extrema aduenturus tempora mundo
Gaudia cultori dabit ille suo æthere in alto.
Libanti diuis pœnas, sub inanibus antris
Luctisoni, poterit quas nemo abolere, barathri.
Tunc etem repetent nece functi viuida membra
Omnes, æthereis iterum vescentur & auris.
Sic ait, inuanum luctantur dicta loquentis
Contra Epicurei, Sophiæ trifidæq; Magistri
Stoica secta fouet quos, murmura talia dantes,
Quid blaterare sator verborum nititur iste?
Dæmonas, ast alĳ, nobis canit iste recentes.
Nam miranda refert, & non credenda. caduco
Ipsum homini Numen contendit inesse perenne.
Indomito & fato redĳsse ad lumina vitæ.
Quodq; magis stupeas, iterum omneis posse rapaci
Surgere cõtendit nece, quod vero male quadrat.
Vrbe locus sublimis erat, dixere Latini
Vicum Martis, vbi capitis sententia prima
Lata fuit, Proceres illo, de cæde, solebant
Arbitraturi, de commoditateq; rerum
Vrbis in imperio positarum, in finibus amplis.

Cogit eo Paulum plebs aspera pergere mitem,
Quo simul est ventum, dat talia vocibus altis,
Auribus instillas qui nostris mira relatu,
Fare magistratu coram, senioribus atq;
Hæc tua quæ sit cõmenti doctrina recentis?
Altius illa palam nova scita edisserere nobis.
Sic memorat cupidũ nouitatũ ignobile vulgus.
Tum pius ille Dei Vates magno ore sonare
Incipit, ad Proceres dans talia dicta superbos,
Acta quos illustris fert fama per orbem
Ore, & gymnasijs omnes transcendere gentes
Sacrilegæ nouitatis amor labe oblinit atra.
En cultus vestros dum perlustrauimus, aram
Vidimus ecce Deo ignoto tellure repostam.
Hunc quem nescitis Proceres, ego prædico vobis.
Ille est qui superos orbes, terrasq; iacentes
Condidit, æquoreos latices, Ditemq; profundum.
Ille est imperium solus, sceptrumq; perenne
Tantæ molis habens, tantæ cõpagis habenas
Flectere rite potens, ope nullius indiget ille.
Huius suppetijs animantia cuncta mouentur.
Frigore torpentes agitante calescimus igne
Huius mortales, huius defluxit origo
Numine terrigenis, huius miranda potestas
Condidit humanas, diuina ab imagine, mentes.
Illius Authoris vestri meminere Poetæ.
Quare agite ingenio prestanti dicite Ciues
Quæ manus humana effinxit, diuina putatis
Quid simulachra? creaturam quid q; esse Creantem
Creditis o miseri? fluxa est natura metalli.
Sunt ruitura auri, sunt argenti, æra, caduca.
Est Deus æternus, cludit quem machina nulla,
Nulla figura æris, nulli arti subditur ille.

Quod capitur minus est spatio capientis, at illo
Maiorem nescit tellus, freta, et orcus, et æther.
Ille diem statuit, quo æquata lance seuerum
Nostra iudicium feret orbi in imagine toti.
Annuet a gelida quum surgere corpora morte,
Inclyta quo virtus pulcherrima præmia tollat:
At scelus æternis ylulantia tartara pœnis.
Talia dicenti illudunt ingente cachinno,
Te tandem flecti posse implacabile fatum
Q; ferat, ast alij stomachantes, accipiemus
Dicta iterum ista (ferunt) abit e medio ille virorum.
Accedunt fideles plures, Dionysius ipse
Primus in arce loci, Christi complectitur aras,
Vt Pauli precibus vidit se infundere clarum
Lumen huic, oculis primo captus qui erat ortu.
Post hæc doctiloquæ gentis discessit ab vrbe,
Cui tamen ingenio Paulus præstabat, et ore
Vrbs bimaris iacet, indigenæ dixere Corinthum,
Vrbes per varias diuisæ gentis Achææ
Finibus, imperio connexæ, vt corpore in vno
Plurima membra vides, populi decora alta Pelasgi.
Aeris quicquid habet laudati maximus orbis
Fingere gnara fuit, Romanis donec ab armis
Expugnata caput summitteret illa superbum.
Hancquoq; Paulus adit, subiens tua Pontice tecta
Alta Aquila, Oenotria pauloante explose tyranno
Martigenûm imperij (fouit te Icœnos et ipsum)
Præterea hebrææ callebas dogmata legis.
Post Iudæorum synagogæ visitat arces,
Cum patribus certat per sabbata cuncta, Tonantis
In mediumq; ciet sublimia nomina Iesu.
Suadet Iudæo, suadet Graioq; loquaci.
Vt Syla adulatat Macedum, comitatus, ab oris
Thimotheo, certat ligno, sermone potenti,

Suffixum ætherei genitum ipso corde parentis
Esse et Messiam verum, luctante prophano
Ordine Iudaico, vestem excutit, atq; ita fatur,
Tempora vestra petat vester cruor o scelerati,
Isto nos puri flectemus ad ætnica regna
Gressus, hinc valeant adamantina pectora vestra.
Sic memorans abit, inq; Titi iusti venit ædes
(Aedes cõtiguæ fuerant illæ Synagogæ)
Credidit illius princeps, domus et sua tota.
Credidit in Christum, tingi se pertulit vnda
Saera de gemino sexu vrbis vasta caterua.
Visus adesse sacro tacitæ sub tempora noctis
Christus, et affari sic. Paule doce, tibi nemo
Me præsente potest ferre vlla incomoda vitæ.
Mœnibus est illis et nobis maxima turba.
Sic Christus, fidei pandit mysteria Paulus,
Monstrat et ad superos, ad amabile limen Olympi
Immortalis iter. docet et vitare Acherontem.
Mœnibus his morulas trahit anni, sexquoq; mensum.
Hunc accusatum proconsul Gallio abire
Annuit illæsum, Hebræorum insultibus obstans.
Fratribus ille salutatis post nauigat oras
In Syriæ, socijs geminis comitantibus vrbem
Asiam inde petens Ephesum, altera flumina, tecta
Visitat in primis Iudæorum Synagogæ.
Qua sermone potens magni decertat Iesum
Esse dei sobolem, iuuenis mirantur et ora
Annosi patres, rogitantq; manere abeuntem
Tempora adhuc aliquot, pergit sed Paulus, et inquit,
Cogimur ire alio, superum nutu redituri.
Proinde valete patres fœliciter. hinc petit vrbem
Cappadocum gentis, ducentem a Cæsare nomen.
Tendit, digrediens illinc, ad mœnia rege

Antiocho dicta, & soles aliquot manet illis
Digrediens Gallogræcorum visitat oras.
Oras deinde Phrygum, confirmans discipulorum
Pectora, dehinc Ephesi claras iterum petit arces.
Bissenosq; viros in nomine tingit Iesu,
Imponitq; manus capiti (Paracletus & ipse
Fatidici lotos condonat munere verbi)
Certat & in docta Synagoga cum recutitis
Patribus ore potens. Messiam dicit Iesum,
Quarta resurgebant lunaria cornua postq;
Discedit, callens aliquorum ferrea corda.
Posthac ingreditur subsellia priua tyranni
Annorum binos cursus docet, vsq; adeo omnes
Flectat vt indigenas dictis. Iudæa caterua,
Cultrix atq; deum aduolitans, verba accipit huius.
Pondera dant dictis rerum miracula sancta.
Membra grauii Paulus supera virtute labore
Aegra leuat, capiunt absentia & ipsa salutem,
Quæ petiere sibi mitti sudaria Sacri.
Horrisonus dæmonq; habitati corporis artus
Effugit, & captus solita ratione potitur.
Talia post, septem sacrorum principe creti
Ipsi conanturquoq; corpore pellere laruas
Vocibus his, & nos mandamus, Paulus, Iesu
Nomine quem dicit, stygias fugiatis ad vmbras.
Istæ respondent, qui Paulus, qui sit Iesus
Nouimus, at qui vos estis? sic vociferatæ
Obsessum stimulant hos contra, q spoliati
Tegmine, & affecti, fugiant hinc, vulnere hiulco.
Spargitur ergo frequens Ephesum mox fama per vrbem
Tanti miracli, iuuenesq; senesq; stupescunt
Insolitæ nouitate rei perculsi, & Iesu
Magnificis nomen sustollunt Laudibus astris.

Aduenere Viri, Matres, retulereq; gesta.
Pars magici in medium tulit atq; volumina cantus,
Et coram cunctis rapidos deiecit in ignes.
Milia codicibus nummum precium pendebant
Quinquaginta illis, concreuit Christigenarum
Religio. Christi cultus surrexit in horas,
Talia post, Paulus Macedum regione, & Achiuum
Lustrata, Solymos meditatur adire penates.
Antiquæ tandem turritaq; mœnia Romæ
Visere, sic statuens, Macedum iubet ire sub oras
Ex socijs geminos, manet Aside solibus ipse
[illegible] populo precepta salubria prebens.
Concitat ecce sed vrbem Ephesum fera turba coorta.
Vir fuit infœlix illa Demetrius, ædem,
Argento faciens Dianæ, vnde aurea luera
Fecerat artificum sectis. qui cedere cernens
Et quæstum, & diuum monumenta inculta iacere,
Ingemit, artifices q; ciet, taliq; querela
Excitat irarum stimulos, bilemq; tumentem.
Pendere calletis socij simulachra deorum
Commoda mille, Deæ præsertim templa Dianæ
Latonæ sobolis, quam magnus suspicit orbis,
Cuius mortales dant aris fumida tura.
Aduena sed Paulus, diuumq; audaculus hostis
Falsa esse effutit, quæ numina sculpsimus ipsi
Vrbe Epheso tota, tota simul Aside terra.
Principio obstemus nisi, cuncta alimenta iacebunt.
Nemo deis posthac sacris operabitur vllis,
Quis genus humanum q̃plurima secla litauit.
Sic sic in cineres ibunt illustria fana,
Religioq; deum, quos excoluere Parentes,
Et Proaui nostri, generis cuncta atq; Propago.
Quare agite o socij venienti occurrite cladi

Pergite, tempus adest, mora nam sua noxia cuiq; est.
Pergite pro veteri diuum pietate citato
Calce. nihil formidandum, via certa triumphi
Credite restabit, modo maturate feroces
In Paulum insultus, telis insurgite, & ære.
Pro superis mouisse manus spes certa salutis.
Accensum his dictis fremitu variabile vulgus
Vocibus acclamat validis, permagna Diana.
Vrbe agitur tota plebs importuna furore,
Iam cuneatum intrat rapidis pharetrata theatrum
Gressibus, arreptatq; duos comites tibi Paule.
Hic te discipuli cohibent intrare volentem,
Illius & terræ Proceres, furiosa theatra
Ne subeas, rogitant studiosi nominis, altæ
Atq; tuæ famæ, metuentes tanta pericla
Posse nocere tibi, vitæq; incommoda ferre.
Dant alij vocis confusæ murmura rauca.
Nec satis agnoscunt plures, tam vasta caterua
Quur coeat: nouitate mali pluresq; stupescunt.
Dictus Alexander glomerata Hebeæus apella
Extrahitur turba, Iudæorum agmine pulsus.
Iudæa de stirpe virum vt plebs accipit esse
Vocibus altisonis clamat, permagna Diana
Binas ferme horas, tandem sedat tamen illam
Seditione grauem Scriba, & dat talia dicta,
Quis nescit Ciues nostram vrbem sacra Dianæ
Excolere (vt perhibent) genuit quam Iuppiter ipse?
Quare his non vllus quum contradicere possit
E vobis, par est tranquillo pectore cunctos
Vos fore, nil temere & moliri, simplicitate
Duxistis nam homines qui gaudent, non sacra vestræ
Blasphemare deæ qui tentant vocibus vllis.
Aduersus quenq; si opifex Demetrius, atq;

Artifices alĩ quid habent, est vrbe tribunal,
Sunt fora, sunt leges, est Prętor, suntq; Tribuni.
Iũri offensorem cogant se sistere proinde,
Suscitat immerito tantas trux seditiones
Ira animi vestri, poterit nec reddere causam
Legitimam tanti concursus, impete tanto
Facti hodie, quare mitescite pectora sæua,
Aurea tranquillæ reuocateq; munera pacis.
Talibus accensæ demullit pectora dictis
Plebis, & irarum stimulos pacauit obortos.
Agmina tum Paulus vocat ad se discipulorum
Exhortatur, &, vt valeant fœliciter, optat.
Hinc abit, vt Macedum regionem pergat in amplam.
Et quum lustrasset partes has, Christigenarum
Pectora consolidans, Græcorum regna subintrat.
Vt treis complesset Phœbi Germana recursus
Hebræam ob fraudem ratibus Syriam petit inde.
Partibus ex varijs socij comitantur euntem
Ad mare veliuolum, veniunt in Troadis arces
Tandem, vbi sermonem Paulus produxit in vmbras
Seræ noctis, agro iniĩciens bona semina Christi.
A trabe luciflluæ pendebant lampades alta,
Vincentes noctem flammis, tenebrasq; profundas.
Hic Inuenis somno commisit membra fenestræ
Alto mersa cauæ (dictus fuit Euthycus ille)
Ille diu Paulo grauibus certante loquelis
Vertice nutanti de summo præcipitatur
Culmine, ad ima ruens telluris, funere tristi
Horrida & attonitæ prębens spectacula plebi.
Tum pietate grauis Paulus complectitur artus
Attactu leni prostratos, ponite dicens
Mœrorem populi, q; adhuc hæc spiritus ossa
Intus alat. non est extinctum (credite) pectus.

Dixit, & in vitam iuuenilia funera versa
Adstantis mœrore leuarunt pectora turbæ,
Adduxere viri Paulo spirantia membra.
Tanta potest Christi in famulis diuina potestas,
Tanta salutiferi valet alta potentia Iesu
Sese dicentis callem, vitamq; perennem.
Post vescens fracto Cereali munere Paulus
Compellat fratres, donec Phœbeia lampas
Infudit terræ radiantia lumina opacæ.
Hinc alias lato partes collustrat in orbe.
Arte, & natura munitam visitat Asson,
Hinc socijs stipatus adit pulchram Mitylenen,
Peruenit inde Chion Aegeo littore postam,
Concinnam inde Samon, qua Iuno dicitur orta.
Denicq; Miletum, quam vellera nobilitarunt
Inclyta, postera lux clausum vt patefecit Olympum,
Cogitat vt Solymis fiet altis, luce refersit
Qua sacrum Flamen pia pectora discipulorum.
Euocat ergo Epheso Proceres, compellat & illos
Talibus alloquijs feruenti pectore abortis,
Agmina Christicolum summo dilecta Tonanti
Solibus a primis q̃ vestra intrauimus arua
Officij nostri meministis, nostri & amoris,
Ex cuius tulimus vobis radice salutis
Et monita, & leges, fidei præceptaq; mille.
Mille mali species passi, discrimina mille
Rerum, ex insidijs Iudæq; plebis, & ira
Propter doctrinas, nostros propterq; labores
Quis vineta dei Christi plantauimus ipsa
Vere vt Idumæis, alijq; infidæ quoq; genti
Religionis iter monstrauimus, ætheræ vrbis
Quo liceat faciles ad ciues flectere gressus.
Nunc sanctam nos ire iubet Paracletus in vrbem

Signa salutiferi qua fulgent rubra Tonantis
Qua nos conflictus, qua nos certamen & acre
Sacra manere monent spiracula Flaminis almi.
Mitibus ast horum monitis solantibus, horrent
Pectora nostra nihil. cursum complere paramus,
Atq; ministerium, quod magna potentia Iesu,
Imposuit nobis, sua numina dicere sancta.
Hæcheç pœnarum faciunt dulcescere sortem
Omnigenam nobis, sedit pro rege subire.
Supplicium famulo, pro vita, fata, perenni,
Quæ citiora Euro fugiunt, volucriq; sagitta.
Posthac non dabitur vultus presentia nostri.
Quare agite ô Fratres vigili lustrate videntes
Pectore commissas, trepidos, seruate ministri
Agnos, sacrorum, venient ad ouile rapaci
Dente lupi taciti, possint quo abducere predam.
Agmina Christigenum, proprio quos sanguine Christus
Emit, ab insidijs, vafro, defendite, & astu.
Cœtibus è nostris surgent scelerata loquentes
Complures etiam, Fidei fundamina iacta
Irrita qüo faciant, vos tela excludite fortes
Arma arcete viri, duris succumbite nullis.
Nemo coronatur, nemo aurea premia tollit,
Martia ni subeat magna certamina mente.
Quæ pius astrorum Princeps suadet, iuuat ipse.
Militibus dabit ille suis cælestia dona.
Haud ego opes vllas, haud æra, haud fulua metalla.
Haud ego Phocaico flagrantes murice vestes
Pro mercede tuli, mage vos, ç vestra petiui.
Hæ (mihi vos testes) palmæ nos cum comitatu
Impleuere cibo (monstrabat brachia tensa)
Vsibus humanæ quicquid vitæq; necessum est
Quæsiuere. vias in lucis ferte caduca

Munera fortunæ, theſauros vertice Olympi
Occulite, infoſſum terris nil proderit aurum.
Arcam aperite inopi, luxate repagula egeno.
Eſt dare nobilius q̄ ſit cœpiſſe, locutus
Sic poſtq̄, genibus dat dicta precantia flexis
Ad ſuperos, cuncto cum ſpectatore quereſas
Effundente pias, lachrymis manantibus ore.
Hinc curuam viſit puppem comitante caterua.
Iamq; ſecat pelagus, Coas delatus ad arces,
Inde Rhodon, Patarasq, Phœnicum ad littora tandem.
Linquitur ad leuam Cyprus, Syriæq;, Tyriq;
Alta freti claſſis radens honus eximit, ipſos,
Hic dum Diſcipulos reperit, Pallantidos ortu
Octonæ Paulus, Ptolemeas petit oras
Cum ſociis, manet his lucem vnam, poſtera ſurgit
At dum, digreditur, ſimul vrbem a Cæſare dictam,
Inq; Paleſtina regione, in littore poſtam.
Contingit rapidus, viſens tua tecta Philippe.
Hic fuit Hebræus, cuius preſaga futuri
Mens erat, innectens vltro ſibi brachia, crura,
Zona Paule tua, ſoluens his vocibus ora.
Dicimus inſtincti Paracleto talia vobis,
Nectetur Solymis Zonę Poſſeſſor in oris,
(Vt me ſpectatis) tradetur gentibus atq;.
Paulus at intrepidus, lachrymis q̄ lumina fratrum
Cerneret irrorare, quid o mea pectora Fratres
Fletibus vrgetis? quid me turbare paratis?
Non ego dumtaxat necti, ſed & ipſa ſuprema
Fata, dei ſancto pro nomine, geſtio obire.
Illi q̄ minime poſſint perſtantia corda
Flectere, ſit Domini fantur rata iuſta voluntas.
Tum Solymas ſcandit Doctor præſtabilis altas,
Denſatos viſit Seniores, hoſq̄ ſalutat.

Grandia diuinæ virtutis narrat & illis
Facta, quibus gentes fidei munimine sanctæ
Firmasset, laudant omnes vno ore Tonantem.
Tum Paulus legis callens monumenta vetustæ
Sublimi ingenio, numero comitante virorum
Quattuor, ingreditur Solomonia templa superba,
Legi respondens, & purificatur, auitæ.
Ecce sed vt septem cursus expleuit Apollo
Iudaici hunc rapiunt Proceres, ortoq; tumultu
Baubant commeruisse necem, q; sacra Tonanti
Templa prophanasset, totis in mœnibus ingens
Seditio crescit, sacra detruditur æde
Innocuus, vulgo vexatus verbere multo.
Aduolat armiferis furiosa mente lacertis
Ipse Tribunus, & hunc geminis vincire catenis
Præcipit, & castris immitti ab milite sæuo.
Insequitur malesana cohors, rape, tolle prophanum
Vocibus altiloquis clamans, & gutture hiulco.
Tum pietate grauis male percita corda Tyranni,
Insani & vulgi (postq; data copia fandi)
Demulcet dictis, cohibentibus ora cateruis.
Sese Tharsensem referens, legiq; parentum
Addictum Hebræi populi, stratumq; Damascum
Aduersam ante vrbem, caligantesq; tenebras
Incubuisse oculis, cæli sub luce coruscæ.
(Postq; in Christicolas sæuisset pectore cæco)
Auribus atq; dei clamorem hæsisse minacem.
Se domini pietate nouo iam sole potiri,
Prædicet vt certam te prolem Christe Tonantis.
Talibus atq; alijs, furijs ignobile vulgus
Inflammatum iterum, tellure abrade scelestum,
Clamat, vaniloquis nostras qui prægrauat aures
Dictis. tolle virum, nec enim fas viuere talem.

Tegmina proſciunt, vacuis iactant ſimul auris
Puluerem. & inſultant mitis tibi Paule fragore
Non vno, tandem turgeſcens bile Tribunus
Arceri caſtris iubet hunc, flagriſq; peruri,
Torquericq; pium diſcrimine mille dolorum.
Lictor vt exequier properat mandata Tyranni,
Funibus innectens inſontis brachia Pauli,
Paulus Romanum ciuem ſeſe aſſerit eſſe.
Permanet illæſus quare, trepidante Tribuno
Cum Lictore procul fugiente, omnicq; miniſtro.
Poſtera lux cæcum ſimul illuſtrauerat orbem,
Ille in concilium productus ſiſtitur ante
Ora Sacerdotum, facit illis ardua verba
De rebus Fidei, ſurgentecq; corpore fato
Poſt cineres. clamant Patres, diſſenſio ſurgit.
Præſes vt agnoſcit ſuccreſcere ſeditionem
Ne forte in minimas poſſint diſcerpere partes
Paulum. iterum abducens mandat ſuccedere caſtris.
Nox erat, & ſtellis rutilabat regia cæli.
Quum ſic Tarſenſem Rex compellabat Olympi
Paule mihi lectum Vas, Martyr, Apoſtole, Doctor
Chriſtigenum populi, toto ſublimior orbe.
Pectore præſtanti cepto perſiſte, Tyrannis
Contemptis, vrbem properabis adire Latinam.
Cultrici diuum pandes mea numina vera
Coram Cæſaribus, coram totoq; Senatu,
Te mea deſtituet diuina potentia nunq;.
Sic ait, ex oculiſq; viri vaneſcit. & ille
Pro nihilo pendit torquere per hernica greſſum
Omnia, ſupremi pro cara prole Tonantis.
Poſtera lux atro ſimulac infunditur orbi,
Inſidias Paulo ponit recutita Propago,
Vlla ſi dape veſcatur, ſe deuouet, vlla

Pocula si labris aptet sitientibus atq;
Ni prius e medio tollat Paulum violenta
Cæde. ille accipiens astus puero indice, nocte
In tacita illæsus perducitur arte Tribuni
Vrbem ad littoream, quam Herodes struxit honori
Cæsareo, multo stipatus milite, & armis.
Hic vbi Tertullus stantem sub præside Paulum
Diceret authorem turbarum prolibus Hebri
Esse, dei templum magni temerasseq; sacrum,
Atq; ducem sectæ cretorum Nazareth horis,
Quam bona pars populi reprobatam diceret esse,
Dictaq; firmaret constans Iudæa propago.
Insigni pietate Paterse vocibus illis
Innocuum purgat, iampridem te inclyte Præses
Iustitiæ decreta sequi cognouimus omnes.
Nunc age responsis vacuas iustissime nostris
Aures da, nugæ procul hinc migrate prophanæ.
Non nisi veridica lingua memorabimus acta.
Non ego disserui templo congressibus vllis,
Impete non vllo violaui hoc, atq; tumultu.
Vrbe etenim tota pacis discrimina nulla
Mouimus, at voto cupiens me soluere, puro
Pectore, muneribus, delubrum ingressus, honustus.
Dæniq; pauperibus cupiens succurrere dono
Sum turba sine conspectus, sine murmure vulgi.
Sed, q̃ me sectæ reprobatæ Nazareth vrbe,
Natorum esse ferant, nimis audent vera Tonantis
Dilaniare sacra, & suprema relligionem.
Luminis illa via est, illa me rite supernò
Addixi Regi, Dominoq;, Deoq;, Patriq;.
Nil dubito vera esse, canunt quæ oracula vatum.
Legis & Hebreæ patrum monumenta vetusta.
Me domino addixi valida spe, pectore toto.

Corpora de tumulis tandemq; resurgere posse
Immisit menti scrupum dubitatio nulla.
Deniq; si quid habent qui nuper ab Aside terra
Aduenere viri contra nos, dicere fas est.
Sistimur ante tuum Præses iam iuste tribunal.
Respondere sedet nobis coram agmine toto,
Coram concilio, coram te iudice recto.
Finis erat dictis, Præses rem distulit omnem
Ipsius arbitrium cupiens audire Tribuni
Tempora post aliquot venturi. Centurioni
Cura datur Pauli, datur huic turba officiosa,
Præsidis ad Festi successoris moderamen.
Ille patrum monitis Solymorum, accersere Paulum,
Tarsensem mandat, procerum constante corona,
Insultante pio, commento crimine multo
Testibus haud vllis, haud vllo robore fulto.
Tum pietate grauis sic obiectum expiat omne
Vixim⁹ innocui, non vlla patrauimus acta
Decretis legum Solymarum obstantia, templi
Vsibus atq; pijs, edicto Cæsaris atq;.
Ille rogans Solymas cupiat ne ascendere, & illic
Mittere se litis parti ipsius ante tribunal?
Cæsaris ad solium respondit prouoco Paulus,
Huic me Romanum par est summittere ciuem.
Quandoquidem gestis, cui Præses dixit, abibis
Induperatoris paruo post tempore ad arces.
Rex erat accipiens (prisca Agrippam vocat ætas)
Multa super Paulo, Festo narrante tyranno.
Ille viri cupiens auscultare ardua dicta
Exorat Festum, Pauli sibi copia detur.
Ergo vt phœbea lux postera lampade fulget
Ducitur in medium Paulus. tum talia Festus.
Rex, Procereſq; alij, comitataq; Turba virorum

Cernite quem Solymæ cupiunt me iudice lucem
Perdere, nos prorsus nihil admisisse videmus
Illum supplicio dignum, fatisq; supremis.
Vt cupit Augusti mittetur mœnibus altis.
De quo quid domino nescimus scribere certi.
Obtulimus vestris quare conspectibus illum.
(In primis tibi Rex pietate insignis, & armis.)
Quo coram vobis quærentibus vlla suborta
Copia scribendi detur, nam mittere vinctum
Induperatori, rerum nec reddere causas,
Res absurda nimis, nec nobis equa putatur.
Plurima tum Paulus, postq; data copia fandi,
Disseruit primæ sumens primordia ab annis
Ætatis, dehinc e tumulis accire cadaver
Insonuit magni virtutem posse Tonantis,
Denicq; se quondam cæsti lumine septum
Interram cecidisse, satis crudelia mites
Arma in Christicolas mouisset q furiosus.
Talibus, ac alijs propter missis breuitatem
Rex ait affectus, tua dicta sonantia quiddam
O Paule æthereum, prope nos ad numina Christi
Induxere tui, cui Paulus, pectore toto
Te fieri optamus grege de Christi, comitatu
Cum toto, cum principibus, cum plebeq; tota,
Nostro sermones hodie quæ cepit ab ore.
Rex hinc secedit cum præside, cumq; caterua
Qua stipatus erat, nil dignum morte patrasse
Dicitur ille pius, mitti inquit regius Heros
Liber homo hic poterat, Romæ nisi Cæsare ab ipso
Imploraſſet opem, cupiens se sistier illi.
Ergo iter in Latium, comitatus milite multo
Velifera Paulus metitur puppe per æquor.
Ecce sed exoritur tempestas horrida Ponto

Cerulleo, surgunt stridente Aquilone procellæ.
Voluuntur vasti fluctus ad sidera summa
Luminibusq; virum cælum nox eripit atra.
Ingemuere viri, mortis præsentia fata
Ante oculos simulac lacero videre rudente,
Tum sic afflatus cælesti numine Paulus
Stans celsa in puppi trepidantia pectora firmat,
O si secta cohors iuuenum fidissima nostra
Consilia implesses, linquendo littora Cretæ,
Non iras Pelagi, non tot discrimina rerum
Iam ferres. non circunstaret mortis imago.
Restamen humanas fragiles diuina potestas
Fortificare potest, nullis occluditur illa
Limitibus, linguæ non est effabilis vlli.
Huius celsa potest virtus quiippe ardua cuncta,
Quare agite o Socij diuinæ fidite dextræ,
Et reuocate animos, res expectate secundas.
Adstitit ecce mihi superi patre missus ab orbis
Nuncius, & placido mihi talia protulit ore,
Mœstum Paule metum secludе, deus dedit ipse
Quam vehit ista ratis turbam, quo naufraga nullis
Figatur scopulis, nemo tibi Paule peribit
Tot comitum ex numero, quare pauor omnis abesto,
Credite pollicito iuuenis facto æthere ab alto.
Insula nos capiet, portum dabit illa salubrem.
Interea Fratres ieiunia soluite fessi
Iam quarta decima, tandem dape membra fouete
Luce, epulas gustare licet, dum talia fatus,
Accæpit Cererem, grates soluitq; Tonanti,
Vescendi dapibus dedit hinc exempla cateruæ
Primus Dux gregis, & Princeps, præstabilis Heros.
Vt primum sedata fames, ratis exhoneratur.
Triticeæ & frugis pelago iactura fit alto.

T

Vincula laxantur, properant contingere littus.
Soluitur a rabie Ponti sed puppis adunca.
Euadunt nantes terræ ad confinia raptis
Pars fertur tabulis, laxa compage carinæ.
Emergunt cũncti domino duce gurgite vasto.
Littora iamq; adeunt Melite tua fertilis vnca.
Barbara turba viros multo contrectat honore
Illic, Vulcano refouens algentia membra.
Tum Paulus sarmenta legens, nutrimina flammæ
Figitur angue manum diro, spectante prophano
Vulgo, atq; in læsum tali latrante susurro,
Author cædis homo satis hoc censetur iniquæ
Portento iste, freto nuper iactatus in alto.
Arida cum liquidis sunt huic contraria, nullis
Iste oris tutus, dubio procul æthere ab alto
Fligitur irati vindicta ingente Tonantis.
Pendentem digito excutiens mox Paulus, in ignem
Præcipitat rapidum liuentem terga colubrum.
Incola vt aspexit non vlla incommoda vitæ
Hunc cœpisse rudis, putat illi numen inesse.
Præterea multis diuina potentia Christi
Illum alijs fecit miris splendescere in oris
Talibus, a duplici morbo Publi ille parentem
Vindicat, a vario turbam dense accelerantem.
Mensibus hybernis tribus actis, nauigat inde
Cum socijs Paulus. Dionysi mœnia clara
Sceptris iamq; petit, post treis soleſq; recedens
Rhegium adit. tandem subit altæ mœnia Romæ
Tertia quumq; dies radianti lumine fulget
Iudaici populi Primates conuocat ipsos
Affatus tales venienti datq; coronæ.
Fecimus o Fratres nil contra commoda plebis,
Nil patrium cõtra morem, Solymis tamen oris

Educti vincti,censuræ mittimur acri
Romulidum.dixere etem̃ nos morte patrasse
Nil dignum Præses, Rex, Princeps denicꝫ multus.
Propterea illæsos dimittere nos voluere,
At Iudæa manus nostri sitibunda cruoris
Obluctabatur, quare nos ante tribunal
Cæsaris adduci annuimus, causa hacꝫ vocaui
Vos, prius affari cupiens,& cernere, Patres,
Israelis enim spem propter vincta catena
Sunt mea membra.pius dedit hæc affamina Paulus.
Quem Iudæa cohors est tali voce secuta,
Gentibus Assyriis de te haud accœpimus vllas
Litterulas,Fratres de te mala nulla locuti.
Vocibus hinc propriis tua sensa ediſſere coram.
Nam refragantur passim iuuenesꝫ,senesꝫ
Sectæ, quæ Numen contendit vt insit Iesu.
Ille diem statuens,redeunti plurima turbæ
Perloquitur (Phœbi primo surgentis ab ortu
Hesperus vt faceret suprema crepuscula serus)
Esse dei regnum, nutu qui temperet astra.
Et veram sobolem crucis horrida fata obeuntem
Illius, ex Mosi scriptis,ex veridicorum
Carminibus Vatum, totaqꝫ ex lege vetusta,
Pars dicta obseruat,pars luctaturqꝫ loquenti.
Ille at fatidico durissima carmine corda
Increpat, ast abeunt multo cum murmure Patres.
Cælisita canit Paulus,regnumqꝫ Tonantis
A nullo vetitus, proclamat gutture hiulco
Pectore præstanti, posita formidine cuncta,
Credite Troiugenæ Christum genuisse parentem
Aethereum,mundi quem machina tota fatetur.
Qui freta, qui terras, qui tartara,torquet,& astra.
Qui creat e nihilo quicquid toto orbe fouetur.

Vna fuit Paulo cuſtodia, Phœbus vt orbem
Signiferum rutilus bis perluſtrarat, abire
Romanus iubet hunc, Nero dictus nomine, Cæſar.
Occiduas, abiens ille ergo tendit ad oras,
Hic operam Fidei præſtat. delubra. deorum,
Ac veteres ritus extirpat, & erigit aras,
Et noua ſacra Deo radianti numine vero.
Regreditur tandem Chriſti fortiſſimus Heros
Ardua Dardaniæ viſurus mœnia Romæ.
Iamq; aduerſa ſubit portis pede tecta citato.
Romani ſummas mox ſcandit Cæſaris arces
Fama viri, & totam ſermonibus occupat vrbem.
Claudius humani generis ſæuiſſimus hoſtis
Res, Nero, Romanas plena ditione tenebat.
Grandæuus iecit Petrus fundamina ſacræ
Chriſtigenum Fidei, docuit Chriſtoq; Quirites
Sacra parare Deo, diuorum numine ſpreto.
Iungitur huic Paulus, docet hoc ſtipatus, Olympi
Aeneades callem ſacris calcare Tonantis
Chriſti, mundanam complentis numine totam
Diuino molem, & terram frenantis, & aſtra,
Dilexere virum plures in Cęſaris aula
Relligione noua noua Chriſtri ſacra colentes
Eloquio Pauli, miraclis denicq; ſanctis.
Scripta etiam illius coram ipſo Cæſare lecta
Laudibus immenſis omnes vno ore ferebant.
Ipſe Senatorumq; ordo ſublimia ſenſit
De Paulo, ſummis & honoribus extulit illum.
Luce, Dei, certa dum iactat ſemina, in aruis
Ille, orans Fidei de rebus voce diſertus
Martigenum coram denſo agmine, dogma ſtupente
Inſolitum, Pauli lepido quod ab ore fluebat.
Ecce cadit Iuuenis reſupinus ab ædibus altis

Induperatori pateris qui infudit Iacchum.
Stertere dulciſonus fecit quem ſermo loquentis,
Ardua queſierat, voces dicentis, ab ipſo
Agmine ſecretus caperet quo attentius omneis,
Iamq; animam exhalans migrat e vitalibus auris.
Cæſar vt allatum conſpexit inutile corpus
Pocillatoris, luctu completur edaci.
Ingemit, & carum dolet amiſiſſe ſodalem.
At pius hæc Paulus callens, exangue cadauer
Apportare iubet, vitali munere donans
Diuina virtute, dehinc iuuenem rediuiuum
Ad dominum mittit, quem ſtantem limine Cæſar
Viuere vt agnoſcit, fit totis ſenſibus amens,
Dat ſimul attonito taleis de pectore voces
Laruam arcete viri foribus, portentaq; dira
Viuentem fato rapti mentita figuram
Vina affundentis, ducibus perſuaſus at illi
Dat tandem ingreſſum. tum ſic ſtupido ore profatur
Intranti, vero dubitamus reddita vita
Sit ne ablata tibi? iuuenis cui viuimus infit
O Cæſar vere, procul eſt fallacia cuncta.
Dic age cui Princeps manarint munera tanta
Vnde tibi? dic authorem, dic magna potentum
Numina diuorum tua commiſerantia Fata
Annis in teneris tulerunt quæ munera vitæ?
Ille ait o Cæſar diuorum numina nulla
Quæ colis, extinctum fecerunt viuere corpus,
Numinis aſtrorum Chriſti nos alta poteſtas
Regis & æterni donauit lumine vitæ.
Secula, cui Princeps, regnabit ſcilicet, inquit
Cuncta ille, infringet totius regnaq; mundi.
Tum iuuenis. cedent regno illius omnia ſceptra
Tempore caſuro nullo. tum Cæſar in iram

Sublatus tumidam, iuuenilia percutit ora,
Ergo ne vociferans ducis huius castra subibis?
Ille ait intrepidus, dum spiritus hos reget artus,
Illius a signis nunq; descisimus, auris
Reddidit æthereis qui me pietate refertus,
Sustulit e medio quem præcipitatio sæua.
Talia dum fieri quini videre ministri
Cæsarei, tales ruperunt pectore voces,
Quid cædis Cæsar iuuenem tibi vera locutum?
Nosquoq; Christicolæ regi illi robora nostra
Offerimus, totos iuuat in certamina neruos
Dedere sidereo Regi, veroq; Tonanti.
Numina Diuorum valeant fallacia cuncta.
Cæsar vt agnoscit Christo dare sacra ministros
Percitus infrena rabie, iubet antra subire
Carceris vmbrosi, tandem cruciatibus illos
Radere de terra cupiens per mille dolores.
Primus hic, in placidas Christi sæuire bidentes
Ausus, & infausto superos incessere bello.
Induperatorum Romani nominis, ipsos
Bestiolis homines crudis dare dilaniandos
Consueuit, rapidis iuuenilia corpora flammis
Incinerare simul nocturni ad luminis vsum.
Iste, hominum generis clades, pestisq;, Tyrannus
Extinxit mundi duo maxima lumina, Petrum
Cum Paulo, eximios Primates Cælicolarum.
Iamq; pium mandat, manicis ad brachia missis,
Adduci. stanti tum tales ante tribunal
Eiectat voces, quæ tanta licentia mentem
Paule tuam inuasit, Pueros auertere quinq;
Cæsaris imperio, antiquo cultuq; deorum,
Qui terrena regunt, qui cœlicq; aurea regna,
Ad tua iussa, nouos ad cultus, ad noua sacra?

Sic Nero, quem Paulus compellat talibus orsis,
Non modo ab arce tua Cæsar, sed totius orbis
Oris deligimus pedites in castra Tonantis
Inuicti Regis nostri, quos annuet ille
Munera sortiri, nullum ruitura per euum,
Quæ non vllarum mundi sunt indiga rerum.
Huic, Ioue neglecto, si te summiseris, alto
Sidere regnanti, cæli seruabere regnis.
Ille reluctantes potis est compescere leto.
Ille potens adeo est, vt Iudex totius orbis
Gentibus esse queat, flammis abolereq; mundum,
Accipit vt Cæsar flammis abolerier orbem,
Paulus vt insonuit, Christo veniente potenter
Iudicet vt mundum, rabie excandescit & ira.
Nec mora Christigenas iubet omneis querere, vasto
Extructoq; rogo, rapidis ab sumere flammis.
Cædere ceruicem Paulo sed acinace Medo.
Christicolum perijt tum confertissima turba
Vsq; adeo vt populus, correptis protinus armis
Seditione furens, summas properaret ad arces,
Talia Stentoreo frendens clamore, Tyranni.
Pone modum Cæsar, cohibe sitibunde cruoris
Immeritam cædem, crudelia iussa retracta.
Quos etenim perdis, nostrates sunt furiose,
Viribus imperium totis qui rite tuentur.
Ille iram plebis pauitans edicta retractat
Pristina, Christicolas tentet ne tangere quisq;,
Dum plene voluat, melius dum iudicet atq;
Quid sit opus facto. quocirca sistitur insons
Principis ante iterum Paulus solium scelerati.
Cæsar vt astantem videt, infremit, atq; ita clamat,
Tolle virum lictor, stricto caput eripe ferro,
Tolle impostorem, magico qui carmine sensus

Humanos ſtrinxit, qui dictis pectora falſis
Eluſit, cultuſq; nouos perſuaſit, & aras
Robore ſuffixi, contempto numine diuum.
Sic Nero. tum Paulus, breuis eſt mors, vita perennis
Eſt mihi cum Chriſto celi rectore perenni.
Tollite Cæſar ait caput, vt nos, Rege, miniſtri
Iſte ſuo plus poſſe ſciat, ſi viuere ſemper
Cernamus, poſſit, cui Paulus viuere ſemper
Clarius vt noſcas me, quum caput enſe reuulſum
Eſt, tum me cernes iterum poſt funera viuum, &
Dignoſces vero Chriſtum vitæ eſſe datorem.
Sic Paulus. iubet ante patres Nero ducier illum
Cum Petro, ante viri ſubeant q̃ fata ſuprema.
Cæſaris ad nutum quibus eſt ſententia lata
Præſide ſub ſæuo, patuit Petri illa camœna.
Iamq; armata cohors hunc cum ſeniore Simone
Mactandum vinclis duxit, quum talia ducto
Tres dixere viri, dic nobis Paule quis ille
Rex tuus eſt, tanto cuius ſuccenſus amore
Vt pro illo ſubeas, vitæ dulcedine ſpreta,
Sponte tua genus hoc miſerabile mortis amaræ?
Inde tibi merces dic quæ ſuccreſcere poſſit?
Tum pietate grauis cœpit magno ore ſonare
Multa ſuper Fidei rebus, ſuper orbe Tonantis
Aethereo magni, ſtygeq; multa ſuperq; profunda,
Multa ſuper mercede ſua, quam lumina nulla,
Nullæ aures, nullæ mentes dignoſcere poſſent,
Illi admittentes ima in precordia Pauli
Dicta, probant noſtræ myſteria Religionis,
Terga deis referunt, aras Chriſtiq; ſequuntur,
Copia iamq; datur, quo vellet, Paulo, abeundi.
Miles at egregius cupiens pro Rege ſubire
Vltima fata quoq;, hæc placido dat pectore dicta,

verba pauli ad militem pro fide volitat

Non sic o Fratres, non sic nos dona manerent
Sedibus empyreis, non sic nos Regia cæli
Exciperet, non procᵓ breui mihi vita perennis
Præstaretur, at hisce locis infigite visum,
Colla vbi fulmineus mihi detruncauerit ensis.
Crastina dum surget lux, illos vilite, binos
Cernetis iuuenes precibus Lucamqꝫ, Titumqꝫ
Auras pulsantes vacuas, quis dicite causam
Aduentus vestri, & vos nostro nomine missos,
Tum vos perfundent Christi fluuialibus vndis,
Tandem Cæli tuum cumuletis vt agmina lecta.
Vix ea finierat, quum missi Cæsaris aula
Aduenere viri gemini, si fata subisset,
Visuri Paulus, quos ille ad numina Christi
Vertere conatus, capit hæc conuicia, Paule
Tum tibi credemus, ceruicem lictor vt ense
Vulserit, amissæ poteris te reddere vitæ.
Interea celeri pede vade sceleste necandus,
Quam meruere tui cultus, tandem excipe pœnam.
Porta Hostiensis
Ecce sed in porta cui contulit Hostia nomen,
Fœmina sermonem Pauli sectata docentis
Plautilla pauli discipula
(Plantillam vocitant) venit obuia mœsta necando,
Suppliciter, lachrymisqꝫ per ora fluentibus, illi
verba pauli ad plautillam
Sese commendat, cui Paulus, certa Propago
Astrorum, salue æternum mihi filia cara.
Annue quo tegeris veli mihi copia fiat,
Lumina quo stringam, vt lictor caput obtruncabit.
Velum capiti pauli plautilla porrigit
Reddere polliceor, Mulier dilecta Tonanti,
Sic Paulus, velum illa capit, dat & hocce roganti.
Cui mox Carnifices illudunt, ore soluto
verba Caesaris ad plautillam
Tales in ronchos, quid delyra fœmina tanti
Lintea das precij isti numina falsa docenti,
Fraudibus innumeris rude vulgus pellicienti?

Tanta ne polliciti tenuit fiducia mentem
Audacis. tunc implendi dum surgere fato
Incipiet, te eadem tandem contingere posse?
Ventum est ad loca supplicij postq̄, pius ille
Complicat eoi duplices ad sidera palmas
Axis (fluminibus setosa rigantibus ora)
Vultibus arrectis post summum pulsat Olympum
Supremis precibus, grates soluitq̄ Tonanti.
Fratribus inde salutatis, præstringit ocellos
Plantillæ peplo, g eminо dehinc poplite flexo
Et cruce per pectus ducta, mente atq̄ perenni
Commissa regi, summisit colla machęræ.
Ecce autem in medio, dum ceruix cæditur, ictu,
Explicito guttas linteo legit ille cruoris.
Colligat hinc propr. s manibus virtute Tonantis.
Adde q̄ auulsus (dictu mirabile) vertex
Ter salit, & toties tua nomina dulcia clamat,
Quæ scriptis numero dat quingentesimo, Iesu,
Tres vitrei exiliuut putei subitoq̄ refluxu
Hisce locis, tangunt quos tempora ab aere lapsa.
Vndis hubertim teneris manantibus herbis.
Tempore testantur, multorum lumina nostro,
Aede sub excelsa qui vndas videre fluenteis.
Adde q̄ & niuei resilit de vulnere lactis
Copia, purpureo cum sanguine, in aere fulget
Lux ingens, suauem corpusq̄ exhalat odorem.
Carnificum turbæ redeunti, cæde patrata,
Pectore sedato Plantilla hæc dicta profudit,
Dicite vbi maneat dulcis meus ille Magister?
Isti autem contra tumida hæc responsa dedere,
Istius, & Socij tenet ima cadauera valles
Tabida, contegiturq̄ tuo caput ense resectum.
Pepło, auido coruus morsu depascitur artus.

Atq; aliter scimus nos tu fers, læta ait illa
Vidimus hac hora Paulum, Petrumq; rigentes
Vestibus auratis, cinctos Diademate summo
Vertice gemmifero, radianti lumine septos.
Sic ait, & velum rubefactum sanguine monstrat.
Propterea ad Christum plures Stygij Ducis aras
Spernentes, ibant, venerati Numen Olympi.
Omnia quę postq; cœpit, motu, acta tyrannus,
Pectora concutitur trepido salientia, Patres
His super accitos & consulit. ecce sed ipse
Consilio in medio miranda luce coruscus
Ingreditur Paulus, ferro per limina clausa.
Talibus in medium allatis, stat & ante Tyrannum.
Tandem crede Nero, sum Paulus Regis Olympi
Inuicti miles, non mors, sed vita perennis
Est mihi, tu miser æternum morieris in orco,
In magnum pugnas infausto marte Tonantem,
Christigenasq; pios saceras crudelibus ausis.
Sic ait, ex oculis mox & vanescit, at ille
Terrore ex nimio fit totis sensibus amens.
Nil animi pauido, gelidus tremor occupat artus.
Haud aliter trepidat, pecus acimbelle, Lycaon
Circum ylulat quum septa ferox, ac garrula Rana
Hydrum imis caput vt conspexit tollere ab vndis
In prædam. longo redijt post tempore sensim
Vt membris vigor, edoctus primatibus ipsis
Christicolas vinctos emitti carcere mandat.
Hi vero ad Christum quos Paulus vertit, eundum
Inter supplicij ad loca, sunt lustralibus vndis
Perfusi iuuene a bino Lucaq;, Titoq;
In medio quorum Paulus stetit arduus Heros.
Illius e scrobe dum sacra pastor tempora iacta
Putri cum terra, baculo sustollit adunco,

Et præter caulas infigit sepibus altis.
Treis noctes domino lucem comitante tuetur
Insolitam circum caput irradiare, citato
Gressu igitur pandit fidei primoribus, illi
Egressi multo cum clero, Præsule & ipso,
Carmine diuino important, pedibusq; reponunt
Corporis hocce sui, poscentes te Deus, ipse
Extet Apostolicus vertex, loca summa capessat,
Ceruicemq; petat, mox optatisq; fruuntur.
Nam virtute dei petit vltro corpora trunca.
Illi igitur vere noscentes tempora Pauli
Laudibus Hymniferis grates soluere Tonanti.
Sublimi merito virtus præfulgida Pauli
Humanæ linguæ non est effabilis vlli.
Ille etenim Doctor toto clarissimus orbe
Innumeras iunxit gentes tibi maxime Christe.
Ille per immensum mundum, per saxa, per ignes,
Laudis amore dei succensus calce cucurrit
Indefesso, adiit terras, Neptunia regna &.
Quo genus humanum posset conuertere totum
Cultibus a falsis Christe ad tua numina vera.
Hic ad Martigenas, ille ad mollemq; Corinthum,
Galatas simul errones, Epheli adq; penates.
Adq; Colossenses, ad tecta Philippica Thracum,
Thessalonica tuos ad ciues, Iudaicasq;
Ad terras, ad discipulos treis enthea scripta
De rebus fidei dedit, ætas quæ legat olim
Solibus æternis non vllum abolenda per æuum.
Sunt qui contendant Hebreis nulla dedisse.
Quid plura? eloquio totum concusserat orbem
Mirando, monstrarat iter quod ducit ad astra.
Discite Terrigenæ q̃ austere culmina vitæ
Ille homo scandebat fragili sub corpore, quanta

Discite sollicito flagrabat pectore flamma
In vos Mortales, in magni Numen Olympi.
Vincula cum plagis, et rerum mille labores
Pertulit, et cædis totidem discrimina acerbæ.
Vnde hic quadraginta accœpit, nomina propter
Gente Palestina, plagas quinto, optimi Iesu.
Ter ferulas frangens, saxis semel obrutus atq;
Vix adiit pelagi littus ter naufragus, vndis
Nocte dieq; fuit, fluuiorum et mille periclis.
Carpsit iter varium, latrones incidit ipsos,
Gentes, inq; vrbes, loca sola, pericula Ponti,
Falsos in fratres, ærumnas, frigora crebra,
Crudelemq; famem, repressaq; lumina somno
Magno animo tolerauit homo succensus amore
Ille Dei, æternâ humani generisq; salute.
Gloria quæsita est illi langoribus ipsis.
Dicendam Christi propter legem omnia fecit.
Omneis vt faceret saluos, ille omnia factus
Omnibus, hic liber seruum se fecit et vltro
Omnibus, vt faceret Christo lucra, commoda mille et.
Stigmata portauit Christi ille in corpore sancta.
Hic ducente Deo raptus super æthera quondam
Viuus adhuc vidit, quæ non effabitur vllus,
Sit quem vel Latium, sit quem mirantur Achiui.
Eia age Apostolici cœtus lux, atq; rubentis
Gloria Martyrij, Doctorum maxima norma,
Concilia nobis iustum pie Paule Tonantem.
Quo post hos gemitus, post hæcq; pericula, tecum
Arcibus empyreis spectemus cuncta tuentem.

MONOSTICHON SYMPHONIAE TERTIAE.

Andrea Achæorum cruce pendes Tertia, in oris.

ARGVMENTVM COPIOSIVS.